DE VI IMAGINATIONIS MATERNAE IN FOETUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVII. M. MARTII A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRICUS STRAUBE
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

H. MEYER, MED. ET CHIR. DD.
FR. VOSS, MED. ET CHIR. DD.
A. BECKER, MED. et CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

ET

AVUNCULO

CARISSIMO

LUDOVICO LUERMANN

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quod in multis artis medicae doctrinis videmus viros et observandi et naturae leges eruendi facultate illustrissimos de re eadem diversa sentire: id etiam in quaestione, num quid valeat imaginatio matris in foetum, confirmari neminem fugere potest. Recentiori praecipue tempore, quo plura et certiora quam olim et de secretis generationis et de evolutione foetus sunt detecta, atque observatio pura et vera potius, quam opinatio vana et fallax hanc obscuram pridem rerum naturalium partem excoluit et illustravit, illa quaestio, quam vim habeat imaginatio matris

in foetum, forum medicum adiit. Quo commotus mori antiquo dissertationem ad assequendos doctoris medicinae et chirurgiae honores edendi satisfacturus, de imaginationis vi matris in foetum vario modo disputata hisce pagellis egi.

Ex antiquissimis temporibus sententiae doctorum virorum de vi imaginationis maternae in foetum variae fuerunt. Alii enim statuerunt hanc vim, alii negarunt. Sed quum permulta mirabilia sint exempla lusus naturae, quae ex imaginatione matris originem duxisse dicuntur, operae pretium facturus mihi videor, de hac materie opusculum conscribens. Loquendum autem nobis est de vitiis primae conformationis, quae secundum gradum in anatomia pathologica varia nomina habent.

Meckel (Path. Anatom. I, p. 6) illam deformitatem organismi vel organi cujusdam, quae in prima embryi aetate orta est, vitium primae conformationis ducit, quae si minor est, lusus naturae, si major, turpitudo, si summa, monstrum, monstrositas appellatur. — Sed quum distinctionis signa plerumque non sint satis dilucida, optimum mihi vitii primae conformationis nomen videtur, quod non so-

lum omnes gradus harum deformitatum congenitarum amplectitur, sed etiam linguae usu locum obtinuit.

Jam dudum homines causam vitii primae conformationis vim imaginationis matris habuerunt, vel animi motus. Putant enim, foetum nascentem illas formas et imagines ducere posse, quae illis rebus pares vel similes sint, quibus matris animus commotus sit. Equidem hanc sententiam falsam existimo, quum permultae aliae causae esse possint, quibus tales deformitates exoriantur. Sed priusquam hanc rem accuratius explicem, licet mihi opera illa, quae hac de materia a permultis viris conscripta sunt, quorum alii hujus, alii illius sententiae argumenta proferunt, paucis verbis commemorare.

LITTERATURA.

Hieronymus, opera ecclesiastica. Tom. IV.

Augustinus, de civitate Dei. Lib. 18. cap. 5.

Oppian, de venatione. Lib. I — II.

Isidor, Etymologia. Lib. XII.

Avicenna, de animalibus. Lib. V.

Matthias Polus, Synops. criticor. pag. 204.

Galen, Lib. de Theriaca.

Mallebranche, Recherches de la vérité.

Lilienthal, Die gute Sache.

Krause, Abhandlung von den Muttermählern.

Schmittmueller, Lucinia. Vol. III. Sct. 3. p. 46.

Blondel, Examen du pouvoir d'imag.

Hastfeer, Von der Schaafzucht.

Arnold, Diss. medica sistens naev. origin.

Christian Rieck, Ueber die menschliche Frucht.

Maucles, Ueber das Versehen der Schwangern.

Sigaud de la Fonde, Dictionnaire des merveilles.

Eller, Ueber das Versehen.

Plattner, Von der Unwahrheit des Versehens.

Gruner, Anthropologie.

Waykard, Kleine Schriften.

Hoffmann, Wie können Frauenzimmer u. s. w. p. 116.

Zimmer, Physiologische Untersuchung über Mifsgeburten. 1806.

C. C. Krause, resp. Schenk, vis et potentia animi gravidae mulieris in foetum denuo asserta et vindicata. Lips. 1784. Ins Deutsche übersetzt von F. M. Drechsler. Lips. 1787. 8.

F. M. Stoy, Tentamen de nexu inter matrem et foetum observatione et experimento illustr. Halae 1786. 8.

H. G. Wustnei, Versuch über die Einbildungskraft der Schwangeren in Bezug auf ihre Leibesfrüchte. Zur Beantwortung der Frage: Können Schwangere sich wirklich versehen? Mit 27 Beobachtungen erläutert. Rostock 1809.

Fr. Schrader, resp. J. G. Steigerthal, De imaginationis maternae in foetum efficacia. — Helmst. 1686. 4.

J. J. Andriefsen, De maternarum imaginationum et animi pathematum in foetum efficacia. Traj. ad Rh. 1748.

J. G. Roederer, De vi imaginationis in foetum negata, quando gravidae mens a causa quacunque violentiore commovetur. (Publici juris facta ab Acad. Imper. Scient. Petropol. Anno 1756.) In ejus opusc. med. p. 107.

Christ. Gottl. Ludwig, De fallaci judicio vulgi super vi imaginationis maternae in foetum observata quaedam. Lips. 1759. 4. c. fig.

C. Fr. Burdach, Die Physiologie als Erfahrungswissenschaft.

M. Saxtorph, Gesammte geburtshülfl. practische und physiologische Schriften. Kopenhagen 1803.

Hufeland's Journal der pract. Heilk. Vol. 4. Sct. 2. pag. 38.

v. Siebold's Journal für Geburtshülfe. Tom. I. Sct. 2.

Meckel's Archiv für Physiologie. Tom. II. Sct. 2. pag. 353.

Dr. Arn. Wienholt's sieben Vorlesungen über die Entstehung der Mifsgeburten, herausgeg. von Scherf. Bremen 1807.

Ueber das Versehen der Schwangeren von Prof. Jörg in seinen Schriften zur Beförderung der Kenntniſs des menschl. Weibes. Nürnberg 1812. pag. 70.
Meckel, patholog. Anatomie. Tom. I. pag. 15.

Quibusnam causis vitia primae conformationis efficiantur, hac de re satis disputatum est non solum a medicis, sed etiam ab hominibus artis medicae ignaris. Id, quod multi putarunt, illa vitia exceptiones lusus naturae esse, et quod etiam nunc in singulis casibus ultimum nostrum refugium est, illis viris, qui naturam non ludificari sciunt, sufficere non potuit. Aeque superstitio ista, quae his deformitatibus Dei iram manifestari putabat et effici Daemonibus ad homines puniendos et praemonendos fingebat, his nostris temporibus, quibus hominum animi religione et litteris excultiores redditi sunt, plane rejecta est.

Praeterea duae sententiae de origine vitiorum illorum primae conformationis propositae sunt. Alii enim causam in ovuli vitio primario quodam, alii in quadam in ovulum nascentem vi ponendam censuerunt.

Quod alteram sententiam attinet ovula quidem feminarum et semen virile sana putantur; ovula vero nascentia vi quadam noxia afficiuntur, unde deformitates, de quibus loquimur, originem ducant.

Sed quum hae res noxiae variae esse possint, multae variaeque doctrinae nobis offeruntur. Quarum est veterrima illa, quae causam deformitatis potentiae matris imaginationis in foetum, vel animi motibus et excitationibus attribuit. Qui hanc sententiam docent, foetui nascenti formas illas imprimi existimant, quae rebus illis, quibus animus matris commovetur, similes vel pares sint.

Si vetustas hujus sententiae in hac re aliquid valere posset, omnia argumenta contra hoc placitum supervacanea essent. Nam in omnibus fere scriptis, quae ex antiquissimis temporibus ad nos pervenerunt, certissimorum testimoniorum fide imaginationis vis matris in foetum nobis demonstratur. Hippocrates nobilem quandam uxorem, quae, quum infantem nigrum peperisset, adulterii accusabatur, eo defendit, quod supra lectum Aethiopis imaginem habuerat; et nemini ignotum est, quomodo Jacobus socerum suum defraudaverit. Postea opinio, deformitates Deorum ira vel incestu Sodomitico, vel Daemonico oriri, hanc sententiam confirmasse videtur. Matres enim, quae tales infantes monstruosos pepererant, ut peccati cujusdam suspicionem et crudeles ejus poenas fugerent, libenter opinionem illam de imaginationis vi defendere solebant. Tali ratione hac sententia omnes tenebantur, praecipue quum facillimo modo res multae inveniri possent, quibus deformitatum species nitebantur.

Ultimis vero praeteriti saeculi annis et hoc nostro

eadem res magis disquisita est a viris litterarum cognitione praestantissimis. Quo factum est, ut qui recentiori tempore de monstris scripserunt, foetum illis rebus deformari posse negarent, quibus matris animus gravidae excitatus esset. Sed tamen multi eam doctrinam ad hunc usque diem defendunt, exemplis, quae oppugnari nequeunt, ut putant, nitentes, quorum numerus ultimis annis magis auctus quam minutus est. Quare haec res disquisitione accurata digna esse videatur.

Quaerendum autem nobis est, num affectus animi matris gravidae in organismum foetus nascentis vim exercere possint, et si hoc concessum, num hi affectus certa quadam re provocati nascentem organismum ita commutare possint, ut illi rei similis vel par fiat. Priorem quaestionem negare nullo modo licet. Nam quamquam foetum saepissime sua sponte nec solum corporis, sed etiam animi conditionibus matris non affectum evolvi, ejusque associationem cum matre omnino non *necessariam* esse videmus, tamen centies experientia contrarium docuit. Nam sicuti exempla habemus gravidarum, quae quamquam dolore et moerore propter mortuos conjuges sollicitabantur, tamen sanos infantes pepererint, altera ex parte foetum terrore vel alio animi motu matris interfici videmus. — Quae quum ita sint, vim affectuum matris gravidae in foetum nascentem concedamus oportet.

Quod jam ad alteram quaestionis partem pertinet,

num tali animi motu foetus nasci possit illis deformitatibus praeditus, *quae his rebus similes vel pares sunt*, quibus animus matris commotus erat, haec res nullis causis aut litteris aut experientia nisis demonstrari potest.

Imo multa sunt argumenta, quae contrarium evincant, quorum praestantissima sunt haec:

Novimus nullam matris conjunctionem directam cum foetu, nec uteri vasis cum placentae vasis, nec praecipue nervis utriusque. Omnia enim argumenta collata et probe expensa certo stabiliunt sententiam, anastomosin veram vasis maternis cum foetalibus non intercedere, sed tantum quasi viciniam humorumque aliquam admissionem, quae multis experimentis demonstrata est, quorum praecipua hic afferam.

Lumina vasorum placentae, quae ad uterum diriguntur, adeo exigua sunt, ut ne mercurium quidem vivum vel ceream materiam, vel alium liquorem transmittant; nec ulla sanguinis gutta ex ista superficie stillat (nisi ruptione vasorum), quum una cum foetu integra placenta et illaesa, cujus vasa arteriosa adhuc pulsant, extrahatur. Neque guttulam sanguinis placenta fundit, quae paulo post mortem, secto abdomine operatione caesarea, ab uteri superficie removetur.

Vasorum uteri lumina e contrario majora sunt, potissimum sub finem graviditatis, quae post obitum feminae gravidae, abdomine et utero apertis, spectare licet; neque

minus perspicua sunt amplissima vasorum lumina, quum uteri vasa in cadavere feminae gravidae materia cerea rubra repleta sunt. Quae quum ita sint, certe fieri non potest, ut vera anastomosi, qua uteri et placentae vasa nectantur, lumen in lumen producatur et vas vasi respondeat.

Ne tamen quid dubii supersit, ipsa etiam pericula nonnulla afferam, in homine et animalibus saeculo et praeterito et praesente pari cum successu facta. Quum vasa hypogastrica, cadavere feminae gravidae integro, mercurio vivo vel cerea materie artis lege per siphonem injecta sunt, nihil mercurii cum placentae vasis communicant; et pari modo etiam ex funiculi umbilicalis vasis, quae siphon implet, uteri vasa non farciuntur, sed ab utero placenta solvitur materie effusa; quum extracto ex feminae gravidae cadavere foetu et funiculo umbilicali perscisso, in hujus arterias mercurius vel alia quaecunque materia vehementius impellitur.

Porro animalia gravida longius per tempus radicibus rubiae tinctorum nutrita, et post partum ossa tam matris quam foetus inquisita sunt, sed cognita sunt foetus ossa rubro colore non tincta: quod periculum veram anastomosin inter matrem et foetum certo neget.

Sanguis embryi sanguine materno habetur fluidior multo et tenuior, per suptilissima nempe placentae vasa collatus. Diversus etiam in foetu, ut in infante recens

nato, a matre pulsus est, observatus auscultatione, circuli sanguinis diversitatem et anastomosium defectum evidenter demonstrante.

Clarissimus Valentin dicit [1]): Die Zotten des Fruchtkuchens stehen mit den Zwischenräumen des blutgefäfsreichen Mutterkuchens in so inniger Verbindung, dafs beide nicht ohne Verletzung von einander getrennt werden können. Nichts desto weniger aber gehen nicht die Blutgefäfse der Mutter in die der Frucht über. Es kommt nur das Fötalblut mit dem Mutterblute in die innigste mittelbare Berührung, so dafs etc.

Etiam communicatio nervorum foetus cum maternis nondum est comprobata. Nam quamquam Schott quinque nervorum fila in posteriore venae umbilicalis parte vidit, tamen in funiculo umbilicali unum modo vel unum et dimidium pollicem persequi potuit. Id quod nervos in funiculo umbilicali adesse, sed nullam eorum communicationem cum matre ostendit.

Foetus propriam vitam vivit, propriis viribus, suo corde et arteriis, proprium sanguinem per placentam movet, sine sanguinis materni harmonia, si indolis aliquam communicationem excipias, quae e secretione in placenta pendet. Ita intelligitur, cur quies, motus, vigiliae, somnus, mors aliaque plura in matre et foetu non sint necessarie

---

[1]) Lehrbuch der Physiologie. T. II. p. 872. §. 1683.

saltem et semper harmonica. Vivit sane mater, mortuo licet pondere uterino; vivit nonnunquam per nonnullas minutas, horas, quin diem embryon in matre defuncta; movetur embryon, quando mater quiescit.

Tametsi supra matris imaginationem in foetum nascentem vim quandam exercere dixi, attamen hoc etiam sine associatione et conjunctione recta matris cum foetu fieri potest. Nam sanguinis mistio et congestio sanguinis materni, conditiones, quibus uterus gaudet, quae e matris vivendi ratione ejusque animi affectibus pendent, in ovum et foetum vim exerceant necesse est, etiam sine illa recta conjunctione. Haec vero matris cum foetu conjunctio non tanta est, quanta necessaria, ut res illae, quibus matris animus ejusque imaginationis vis excitatur, foetui imprimantur; nam ad tantam associationem matris cum foetu efficiendam conjunctio nervorum matris cum nervis foetus adsit oportet, ut per omnes analogias facile est intellectu. Naturae investigatores illas in matris cerebro ortas imaginationes talem vim in distans exercere negant, quotiescunque fanatismus eam sensisse dixerit. Sed si unquam haec vis ex matris cerebri functionibus in foetum orta certior fieret, multo verisimilius foret, eam commutatione sanguinis, quamquam non recta, effici. Quod vero attinet ad analogias illas, ad hanc rem explicandam propositas, ex quibus nominanda est similitudo infantis cum parentibus non solum ad corpus, sed etiam ad animum

spectans, vis functionum cerebri in corporis organa, hae ineptae sunt, et qui magnetismo argumenti quiddam afferre sibi videntur, rem obscuram multo obscuriore explicare student: nam qui quid explicaturus est, argumenta eas res proferre debet, quas scit, nec tales, quas verisimiles putat.

Vitia quod attinet primae conformationis, quorum causa imaginationis vis nominata est, saepe geminorum alter plane sanus natus est; quomodo hic explicare velis in alterum foetum matris affectus animi vim exercuisse, in alterum non item? Facile enim est intellectu, id, quod duo ovula adessent, impedimentum fuisse, quominus alterum sanum evaderet.

Persaepe deformitates seu vitia primae conformationis in illis reperiuntur organis, quae matri plane ignota sunt, in quorum evolutionem matris imaginationes nullum pondus habere potuerunt. Quomodo enim hominis imaginandi vis id fingere queat, quod ipse nunquam viderit? Homo vero etiam somnians nunquam alias res videt, quam quas novit, quas combinare et sibi commutare potest.

Saepe deformitates in foetu inveniuntur, cujus animus matris nulla re excitatus erat. Mater enim se gravidam ulla re, sive bestia quadam sive infante quodam labio leporino vel vitio simili affecto territam esse plane nescit.

Contigit mihi, ut exempla nonnulla a medico quodam Berolinensi celeberrimo mihi traderentur, quae hic et postea paucis verbis afferre liceat. Femina quaedam infantem tribus naevis in brachio sinistro praeditam, qui fragis fere similes erant, peperit. Quo factum est, ut nonnullae feminae nasutae, quae matri erant conjunctae, contenderent, hoc vitium foetui illatum esse eo, quod mater gravida adspectu fragorum commota esset, sive quia conjux eam impedivisset, quominus fraga ederet. Sed uxor gravida erat per id tempus, quo fraga non exstabant, et praeterea nunquam iis cum voluptate quadam frui solita erat, nec unquam picam fragorum sensisse confirmabat. Complura exempla hujus modi afferre possum, at ut paucis omnia complectar: monstra vel naevi ista objecta, quibus assimilari solent, habitu suo non referunt, sed phantasiae viribus ad objectum detorquentur. Is certe magnus Apollo erit, qui fructus fragorum, ignis, animantis cujusdam etc. veram effigiem in naevo vel in monstro s. in deformitate foetus unquam exhibuerit.

Saepe matris animus rebus talibus commotus est, quibus foetui damnum illatum iri, omnes jure meritoque putabant, et tamen infantes sani nati sunt.

Feminam, ingenio et animi affectibus acrem, quum uterum gereret et rure degeret, vehementissimum edendi capitis vitulini desiderium tenebat, reliqua omnia cibaria

aversantem. Emittebantur propterea nuncii omnem pagum omnemque angulum vicinum perreptaturi; qui quidem nil capitis vitulini explorantes leves praedaque non onusti redibant. Frustata desiderio femina contristatur, languet, nil appetit, capitis prolis formam vitulinam timet. Partus tandem accedit et formosa nascitur puella.

Profecto si imaginationis maternae vires ad formandos naevos et monstra aliquid valerent, universus terrarum orbis monstris et naevorum maculis foedatis hominibus dudum tectus esset, quum vix ulla gravida femina reperiatur, quae frequentissimis animi affectibus non agitetur. Rarissima autem sunt monstra, neque veri naevi adeo inter tot homines frequentes.

Deformitates ejusdem generis inveniuntur in compluribus per multorum annorum intervalla natis infantibus, vel sunt hereditariae in familia quadam. Etiam si adspectu cujusdam rei damnum foetui uni illatum sit, num verisimile est, hanc imaginationis vim in illa quoque ovula momentum exercuisse, quae nondum exculta erant? Nonne haec res contra imaginationis vim argumentum est? Nonne deformitatis fontem in matris vel patris organismo vel anomalia seminis et ovulorum ponendum esse demonstrat?

Primae conformationis vitia persaepe etiam in animalibus reperiuntur, eorumque haud raro eaedem formae, quae in hominibus. Num fortasse physiologia causam no-

bis praebet, cur in animalibus tales animi affectus adesse putemus, quales in hominibus? Nam verisimile est, canem domesticam gravidam leporis adspectu tontopere commoveri posse, ut quid damni foetus capiant? Attamen labium leporinum saepe in canibus invenitur. Etiam animalibus inferioribus, ut amphibiis, piscibus et insectis, quin herbis vitia primae conformationis sunt, quae iisdem legibus atque illa hominis demonstranda sunt, nec imaginationis vi orta esse possunt.

Postremo hac in re explicanda notandum est, embryi organa per primos graviditatis triginta vel quinquaginta dies jam ita conformata esse, ut eorum deformitas fieri non possit, nisi id, quod jam formatum est, a natura deleatur. Praeterea mulieres illis diebus plerumque nondum certo sciunt, se gravidas esse: animus matris nondum tantopere in foetum nascentem vertitur, ut vitium primae conformationis imaginandi vi embryon capiat. Plurima vero exempla potentiae imaginationis maternae in foetum in quinto graviditatis mense observata sunt, nec illo tempore, quo praecipue statui possunt. Quomodo igitur explicare velis, foetui ad hunc usque gradum evoluto alias formas imprimi posse? Nonne evolutio embryi hoc modo tantopere perturbaretur, ut vivere plane desineret?

Praeterea permulta sunt argumenta, quae allegare possim, inanem imaginationis matris in foetum vim de-

monstrantia; sed illis allatis, id quod volui, satis mihi exposuisse videor. Attamen nonnunquam exempla vitiorum primae conformationis afferuntur, quorum descriptio nos commovere possit, ut quid miri factum esse opinemur.

Celeberrimus Dr. E. haec mihi tradidit. Femina quaedam (Berolinensis) per tres menses gravida erat, quum haud procul ab aedibus suis incendium oriretur. Quum ante portas ivisset, flammasque videret, valde animo commota manu sinistra genas suas corripuit. Postea domum reducta per longum tempus terroris ignis oblivisci non potuit, sed Doctori E. saepius dixit, se valde timere, ne infantem naevo rubicundo praeditum gestet. Id, quod dixerat, factum est; nam infantem peperit, in cujus sinistra gena magnus ruber naevus fuit. Postea vero Dr. E. certior factus est, jam complures personas ex familia illius mulieris tales naevos in facie habuisse. Quâ re hoc malum hereditarium, nec ulla imaginationis vi ortum esse perspicuum fit.

Nobilis quaedam femina, aliquot menses gravida, terrore et magna ira corripiebatur, quum virgo cubicularia ferramento illo, quo vestes laevigantur, pannum adureret, ita ut segmentum ambustum ferramenti illius formam haberet. Gravida hoc malum videns manu pectus tetigit. Infans natus naevo in pectore flavi coloris et formae illius ferramenti praeditus dicebatur, et medicus ipse illius

mulieris hunc casum quasi argumentum potentiae imaginationis matris in foetum narrabat. Sed occasione oblata Dr. E. vidit infantem minime naevo instructum, sed id, quod naevus putabatur, vitiligines colore flavo et congregatae erant. Praeterea forma ferramenti minime ex his vitiliginibus cognosci poterat, et infans etiam in aliis corporis locis similes maculas habebat. Mater vero, quamquam vitiligines illa animi commotione ortas putavit, ipsa multas vitiligines habebat in corpore nec sciebat, utrum pectoris latus manu, terrore commota tetigisset.

Porro R. Wagner commemorat hunc casum. Navigatoris cujusdam uxor in pago ad Nicrum sito infantem peperit, manibus pedibusque carentem. Quae mulier W. quaerenti narravit, se gravidam in museum anatomicum Gottingense venisse, in quo foetum brachiis pedibusque carentem viderit. Unde quum rediisset, aliam uxorem sibi occucurrisse, a qua reprehensa sit, quod gravida tales res visitasset. Quamquam mulier animo firmo erat, tamen harum cogitationum oblivisci non potuit, et peperit infantem, cui, ut supra memoratum est, manus et pedes deerant. Wagner ipse hac re perturbatus est, sed postea contigit, ut audiret, hanc feminam jam antea bis monstra peperisse, priusquam anatomicum museum vidisset vel id esse audivisset. Qua re recte existimamus haec monstra ex aliis causis orta esse.

Haec sunt argumenta, quae mihi in universum contra imaginationis vim proferenda videntur; videamus nunc, quae sint causae illae, quibus deformitates, quae nobis quotidie fere occurrunt, effici possint.

Quae quum variae sint, in duas classes dividi possunt, nempe primarias et secundarias.

Primariae illae sunt nominandae, quae oriuntur ex anomalia ovuli vel seminis, secundariae vero, quibus foetus in graviditate damnum capit.

Quod attinet ad causas primarias, permulti fuerunt, qui has deformitates a primo initio in ovulis mulieris contineri, et simul cum ovis in ovario unaque cum embryon, quod continent, germen deformitatum oriri putarent.

Nam si femina ex eodem vel ex pluribus maritis, vel vir quidam cum variis feminis infantes genuit iisdem deformitatibus praeditos, nonne verisimillimum est, hoc vitium seminis vel ovuli esse? Nam quomodo fieri possit, ut semper iisdem rebus variis embryis idem damnum inferatur? Dr. E. hominem vidit, qui cum tribus feminis liberos genuit, qui omnes labium leporinum vel palatum fissum, vel utrumque habebant. Duae feminae infirmae debilesque fuisse dicebantur; tertia vero valida et firma erat et tamen duos infantes illis vitiis praeditos peperit. Conjuge mortuo mulier alii viro nupsit, cui infantem plane validum peperit. Quis est, qui dubitet, quin illarum de-

formitatum culpa viri fuerit? Sed quum nullo alio modo vir in foetum creandum vim habeat, nisi semine, verisimillimum est, semine anomalo vitia primae conformationis quaedam confirmari posse. Idem fit ovulis mulieris vel anomalis vel insanis.

Altera causarum pars sunt illae res, in quas foetus nascens incidit. Ex quibus primum nominandae sunt illae, quae mechanica via vim exercent in matrem gravidam, ut exempli gratia ictus, percussio, lapsus etc., vel magna corporis commotio, vel impedimenta mechanica, quibus ovula per tubam Fallopianam penetrantia, vel in utero versantia, his organis ipsis vel aliis adnexis partibus commutatis exposita erant. His adnumerari solet ratio et conditio ovi ipsa, parum vel nimis multum liquoris amnii, vel spatium uteri nimis coarctatum, praecipue geminis in eo versantibus. Hanc sententiam jam Lemery (de monstris pag. 139) strenue defendit et ex recentioribus scriptoribus Geoffroy Saint-Hilaire per longius tempus hanc mechanicam vim solam causam deformitatum putavit. (Philosophie anatomique. Paris, 1822.)

Multi alii vero, uti Haller, Treviranus, C. F. Wolff, saepe hanc mechanicam vim in vitia primae conformationis multum valere non negant.

Mechanica via, ut ictu, vel pulsu, quibus uterus matris percutitur, foetum quoque laedi, id demonstrant illi infantes, qui fractis ossibus et oblique sanatis nascuntur.

Valentin quoque circa ovula gallinacea demonstravit, ovulis laesis vitia primae conformationis effici posse. (Valentin, Repertorium II, p. 168.)

Quae quum ita sint, non est dubitandum, quin vitia primae conformationis et deformitates embryi mechanicis quoque rebus provocari possint; sed omnes deformitates hac via declarare, ineptum est.

Persaepe monstrositates morbis foetus attribuendae sunt. Foetus enim in utero aegrescere potest, aeque ac homo natus; id quod infantes demonstrant, qui morbis conformatis, sicuti inflammationibus, tuberculis, scrophulis, rhachitide, syphilitide etc. affecti nascuntur.

Praecipue vero acephaliam, hemicephaliam, spinam bifidam etc. ex hydrocephalo et hydrorrhagia, quibus foetus aegrotabat, exstitisse non solum verisimillimum, sed etiam perspicuum est. Nam fluidis istis, qui in cananiculis vel cavitatibus corporis foetalis congregantur, ossa cranii et vertebrarum, quominus concrescant, impediri possunt; quo modo multae deformitates efficiuntur. Inflammationibus porro cum exsudationibus plasticis saepe in foetu organa plane concrescere possunt.

Th. Bischoff de hac materia dicit: [1]) die Mifs-

---

[1]) Handwörterbuch der Physiologie mit Rücksicht auf physiologische Pathologie von Dr. R. Wagner. Tom. I. pag. 894.

bildungen sind Krankheiten des werdenden Individuums, so wie es solche des gewordenen giebt. Krankheit aber ist Abweichung von der einem jeden Organismus zu Grunde liegenden Idee, deren Realisation zur Erreichung gewisser Zwecke nothwendig ist; oder wie Henle dieses ausdrückt, Abweichung von der Idee der Gattung. Die Mifsbildungen verdanken daher ihre Entstehung einer Abweichung von der Idee der Gattung, oder sind Abweichungen der Thätigkeit, welche jeden Organismus nach der ihr vorschwebenden Idee formt und bildet.

Deinde mala matris vivendi ratio multum valet in foetum, ita ut corpore coarctato vestimentis non solum matris sanguinis circulatio, sed etiam nutritio foetus in utero praepediatur. Aliae causae nominandae sunt nimis magna quies gravidae, vel animi motus, ut moeror, curae, terror, timor etc.; denique coitus nimius in graviditate.

Valentin (Lehrbuch der Physiologie des Menschen, T. II. p. 883) praeter curas etiam spasmodicas contractiones uteri, quibus saepius gravidae laborent, magnam vim in foetum nascentem exercere et ejus deformitates saepissime procreare affirmat.

Sed quo magis cognovimus, quo modo embryon ejusque organa evolvantur, eo facilius intelligere possumus, plurimas deformitates alio etiam modo explicari posse.

Nam si formas embryi monstrosi, ejusque organa cum illis formis comparamus, quibus antequam ad summam perfectionem pervenit, praeditum fuit, facile perspicimus, similitudinem illis cum his intercedere. Multae deformitates has formas ostendunt, quas foetus in minore quodam evolutionis gradu habuit; conformatio igitur foetus in hoc minore gradu cessavit.

VITA.

Anno hujus saeculi XXI ego, Henricus Straube, in pago Guestphaliae Herbede parentibus evangelicis, patre Henrico, matre Friderica e gente Luermann, natus sum. Litterarum in elementis addiscendis praeceptore semper mihi venerando Frahne, tum cand. theol. usus sum. Deinde per sex annos gymnasium Tremoniense, quod directore Thiersch floret, frequentavi, testimoniumque maturitatis adeptus verno tempore anni MDCCCXLII academiam Bonnensem adii, in cujus civium numerum a rectore magnifico Ill. G. Bischof receptus, per annum et dimidium interfui scholis. Tum Herbipolin me contuli, ubi a prorectore magnifico Ill. Textor civium academicorum numero adscriptus, annum unum commoratus sum.

Auctumno denique anni MDCCCXLIV almam universitatem Berolinensem petii, inter cujus cives a rectore magnifico Ill. Hecker receptus et apud Ill. Wagner, gratiosi medicorum ordinis decanum maxime spectabilem, nomen professus sum.

Scholae et philosophicae et medicae, quas audivi, hae sunt:

1. Philosophicae:

de botanice Ill. Treviranus;

de physiologia et logice Ill. van Calker;

de zoologia et zootomia Ill. Goldfuss;

de mineralogia Ill. Noeggerath;

de physice Ill. Pluecker;

de chemia experimentali anorganica et phytochemia zoochemiaque Ill. G. Bischof.

2. Medicae:

de anatomia et generali et speciali Ill. Mayer, Ill. M. J. Weber, Ill. Muenz;

de encyclopaedia et methodologia medica Ill. Naumann, Ill. Bischoff;

de physiologia tam generali quam speciali, de pathologia generali cum observationibus et chemicis et microscopicis Ill. Budge;

de therapia generali, de anthropologia Ill. Nasse;

de historia artis medicae Ill. Harless;

de doctrina instrumentorum obstetriciorum Ill. Kilian;

de chirurgia speciali, de morbis oculorum, de operationibus chirurgicis, de instrumentis chirurgicis, de arte fascias rite applicandi Ill. Textor;

de materia medica et arte formulas rite conscribendi Cl. Rinnecker;

de pathologia et therapia speciali Ill. a Marcus;

de arte obstetricia Ill. d'Outrepont;

de anatomia pathologica Ill. Mueller;
de morbis neonatorum Cl. Ebert.

3. In exercitationibus practicis mihi duces fuere:
in arte cadavera dissecandi Ill. Muenz;
in clinico propaedeutico Ill. a Marcus;
in clinico pathologico et therapeutico Ill. a Marcus per semestre, Cl. Wolf per annum, Ill. Romberg per annum et dimidium;
in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Textor per semestre, Ill. Juengken per annum;
in clinico obstetricio et in exercitationibus ad phantoma instituendis Ill. d'Outrepont;
in medicina forensi practica Ill. Casper. —

Ex calendis Aprilibus anni praeteriti munere chirurgi militaris voluntarii fungor, duce Cl. Dr. Hauck.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias ago semperque habebo, quam possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Funiculo umbilicali prolapso, infantem in pedes vertere, optimum est remedium.
2. Menstruationis ratio ex ovariorum conditione pendet.
3. Femina non concipit nisi inter menstruationem aut paulo post.
4. Typhus morbus sanguinis est.
5. Rigor mortualis est certissimum mortis signum.
6. Instrumentum chirurgicum quo simplicius, eo melius.